



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 129. Vsque in atrium Summi Sacerdotis. v. 54.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

§. 129. *Vsque in atrium Summi Sacerdotis. v. 54.*

Petrus primo fugiens, deinde à longe sequens, nunceriam fit Intrans in Aulam Pontificis seu Summi apud Iudæos Sacerdotis, nam Gentilium Pontifex Maximus eo tempore erat Tiberius Cæsar Augustus, ut pater ex innumeris numismatis ab eo cufis, & adhuc apud Antiquarios extantibus, Petrus ergo ille quid ingrediendo aulam effecit? Si in probi Pontificis ut Oniæ, Ioiadæ & similibus Pontiff. aulam esset ingressus, certe bene ei fuisset: nunc cum video eum ingredi in Aulam tam mali Pontificis, valde timeo ne hoc ei male cedat, quia in illa aula non puto reperiri aliquem bonum nisi coactum intrate, quando iuxta verbum Præsul ut ampiruat, sic vulgus redandruat.

**A** Mici mei, auditui sæpe quod qui velit esse pius, debeat aula exire: Fui & ego in aulis & diu & frequenter, sed experientia doctus puto esse discrimine opus, nempe ex Aula Sancta Theodosij, & similibus tam laicorum quam Ecclesiasticorum principum, non opus esse exire; sed vna posse pietatem coli: alias verè, ex eis esse discedendum; si sunt Aulae, qualis erat Herodis, & Caiphæ & his similibus. Ibi valet vox, quæ Arsenium ex aula exciuit, *Fuge, Tace, Late*. Adde tamen etiam in aulis sanctis Regum & Imp. & Principum, Pontificum & Episcoporum, quod nisi quis pietatem ipsemet inferat, raro inueniat, & allatam facile perdat, propter magnas occasiones & materias obuias, in quibus infirmitas humana, facile corrumpitur, nisi valde magna gratia Dei stabilietur. Quisque sibi attendat, Petrus nobis potest esse exemplum, si recentiora non tenemus portenta in aulis nata. Et te, ô Deus, qui uti hominem ad imaginem tuam condidisti, ita homines ad cælestis tui regni formam quoque colligi voluisti in Republicas, regna, Ecclesiam & ordines Ecclesiasticos, te supplico, ut omnes qui in aulis versantur potenti tua dextra protegas, ut sint sani mente & corpore, neque in vitia, quæ ibi obuiare possunt, declinent, & cum tu benigne Deus præuides, in aulis corrupendos esse, quos pretioso sanguine tuo redemisti, obsecro, auerte eos, arce, euoca, impedi, imo eijce eos, per amissionem gratiæ apud Principes, ut salui fiant foris, qui erant damnandi intus. Fiat, Fiat. Amen.

§. 130. *Et sedebat cum ministris ad ignem. v. 54.*

O Petre, Collegas Apostolos deseruisti, & Christum perdidisti; & Ministris Sacerdotum & Scribarum & Seniorum suos Dominos præstolantium in atrio seu antecamera adhæcisti, Quid fecisti? imo etiam cum eis ad ignem sedisti, quasi & tu Dominum tuum in aula præstolaberis donec  
eum